

TYPOGRAPHVS  
LECTORI S.

**N** iam, studiose lector, P. Manutii Commentarium in xvi. libros Epistolarum Ciceronis ad Atticum exhibemus, satis tempestiue, vt arbitramur, si modo tu studium & laborem nostrum probaueris, inq; bonam partem interpretatus fueris. Porro cum ipsæ ad Atticum epistolæ ob concisum scribendi genus satis obscuræ sint, & verborum ænigmatibus inuolutæ, hinc factû est, vt plurimaloca primum ab imperitis librariis aut male, aut prorsus non intellecta, atq; sic deprauata fuerint: deinde ab interpretibus paullo liberioribus potius implicata & corrupta quam explicata & emendata. Et sane nullû reperire liceat, qui ita eas enodauerit, vt iure nihil desiderare posses, ipsiq; adeo Manutio, alioquin acutissimo & in hoc genere lucubrationum exercitatissimo, sæpius aqua hæerere solet. Rem itaq; studiosæ iuuentuti gratissimam, nec etiam inutilem, facturi videbamus, si duos vel tres Commentatores ex optimis selectos coniun-

)( ij